

www.e-rara.ch

[Opera omnia]

Augustinus, Aurelius

[Basel], [1528-1529]

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: AW 57

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-5484>

Divi Aurelii Augustini Hipponensis episcopi, liber quaestionum evangelicarum secundum
Matthaeum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

tem uita quoniam uerbum dei est quo fruemur, nulla decessione & successione syllabarum c
 completur, sed omnia quæ habet semper manendo simul habet: ita participes eius, quibus
 L ipsum solum erit uita, neq; moriendo sibi decedent, neq; nascendo succedent. Quod
 LUC. 22 dixit dominus discipulis, Orate ne intretis in tentationem, & ipse auulsus est ab eis quatum
 iactus est lapidis: tanq; hoc eos admonuerit, ut in eum dirigerent lapidem, id est, usq; ad
 eum perduceret intentionem legis quæ scripta erat in lapide: usq; ad illum enim potest per/
 LI uenire ille lapis, quoniam finis legis est Christus ad iustitiam omni credenti. Quod
 LUC. 24 scriptum est de domino, Finxit se longius ire, non ad mēdaciū pertinet. Non enim omne
 V quod fingimus mendaciū est, sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est men
 daciū. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, nō est mendaciū,
 sed aliqua figura ueritatis. Alioquin omnia quæ à sapientibus & sanctis uiris, uel etiam ab
 ipso domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intelle/
 ctum non subsistit ueritas in talibus dictis. Non enim homo qui habuit duos filios, quo/
 rum iunior accepta parte patrimonij sui profectus est in regionem longinquam, & cætera
 quæ illa narratione contexuntur, ita dicuntur tanquam uere fuerit quisquam homo qui hoc
 in filijs suis duobus aut passus sit, aut fecerit. Ficta sunt ergo ista ad rem quandam signifi/
 candam, tam longe lateq; maiorem, & tam incomparabiliter differentē, ut per illum fictum
 hominem deus uerus intelligatur. Sicut autem dicta, ita etiam facta finguntur sine menda
 cio ad aliquam rem significandam. Vnde est etiam illud eiusdem domini, q; in fici arbore
 quæsiuit fructum eo tempore quo illa poma nondum essent. Non enim dubium est illam
 inquisitionem non fuisse ueram, quiuis enim hominum sciret, si non diuinitate, uel tempore
 poma illam arborem non habere. Fictio igitur quæ ad aliquam ueritatem refertur, figura
 est: quæ non refertur, mendaciū est. Quid ergo significat q; se ire longius dominus finxit,
 cum comitaretur discipulis, exponens eis sanctas scripturas, utrum ipse esset, ignorantibus.
 Quid putamus, nisi quia hospitalitatis officio ad suam cognitionem peruenire posse homi/
 nes intimauit, ut cum longius ipse ab hominibus abscesserit super omnes cælos, tamen ita
 cum eis sit qui hæc exhibent seruis eius, ut cum dicere cœperint, Domine quādo te uidimus
 hospitem & adduximus, tanquam eum scilicet qui longe abscesserat, Respondeat ille, Cum
 uni ex minimis meis fecistis. Tenet ergo Christum ne longius ab illo eat, quisquis catechi/
 zatus uerbo, in omnibus bonis ei qui se catechizat communicat, sicut Apostolus dicit, Com
 municet qui catechizatur uerbo ei qui se catechizat in omnibus bonis. Et alio loco cum di/
 xisset, Necessitatibus sanctorum communicantes, statim subiicit, hospitalitatem sectantes
 Et isti enim catechizati erant uerbo cum eis exponeret scripturas. Et quia hospitalitatem se
 ctati sunt, cum quem in ipsa expositione scripturarum non cognouerūt, in panis fractione
 cognoscūt. Non em̄ auditores legis iusti sunt apud deū, sed factores legis iustificabūtur.

QVAESTIONVM EVANGELIORVM LIBRI SECVNDI FINIS

CENSURA

QVA occasione fragmentum hoc reuulsū sit à cæteris, non satis liquet: stilus tamen & res
 congruunt Augustino, licet in libris Retractationum huius scripti non meminerit.

DIVI AVRELI AVGVSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI,

Liber Quæstionum Euangelicarum secundum Matthæum.

I
 Matth. 2

II
 Matth. 10



QVOD dictum est, occisos infantes à bimatu & infra, significatum est, hu/
 miles habentes geminam charitatem, tanq; paruulos bimos posse mori
 pro Christo. Quod dico uobis in tenebris, id est, quum adhuc in
 timore carnali estis, quia in tenebris est timor, dicite in lumine, hoc est in
 fiducia ueritatis, accepto spiritu sancto. Et quod in aure auditis, prædicate
 sup tecta: id est, qd in secreto auditis, calcato carnis domicilio prædicate.
 Nolite

A Nolite arbitrari quia uenerim pacem mittere in terram. Non ueni pacem mittere sed **III**
 gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum. Quia renuntiat quis dia-
 bolo qui fuit pater eius. Et filiam aduersus matrem suam, Plebem dei aduersus munda-
 nam ciuitatem, hoc est, aduersus perniciosam generis humani societatem, quam nunc Ba-
 bylonia, nunc Aegypto, nunc Sodoma, nunc alijs atq; alijs nominibus scriptura significat. Nu-
 rum aduersus focum, ecclesiam aduersus synagogam, quæ secundum carnem Christum pe-
 perit sponsum ecclesiæ. Diuiduntur autem gladio spiritus, quod est uerbū dei, & inimici ho-
 minis domestici eius, cum quibus antea consuetudine implicatus erat. Quod autem **III**
 descendens de monte posteaq; præcepta illic discipulis & multitudini dedit, leprosum sta-
 tim extendens manum suam curat, significat eos qui de illis implendis dubitāt suo auxilio **Matth. 8**
 ab huiusmodi uarietate mundari. Quod dominus dixit scribæ qui eum sequi uoluit, **V**
 Vulpes foueas habent & uolucres cœli tabernacula, filius autem hominis non habet ubi ca-
 put suum reclinet. Intelligitur miraculo domini cōmotus propter inanem iactantiam eum
 sequi uoluisse, quam significant aues. Finxisse autem discipuli obsequium. Quæ fictio uul-
 pium nomine significata est. Reclinatione uero capitis humilitatem suam significauit, quæ
 in illo simulatore ac superbo non habebat locum. Dimitte mortuos sepelire mortuos **VI**
 suos. Mortuos hic non credentes dixit, Mortuos autem suos, qui nihilominus sine fide de
 corpore exierunt. Excutite puluerem de pedibus uestris. Aut ad contestationem la- **VII**
 boris terreni quem pro illis inaniter suscepissent, aut ut ostenderent usq; adeo se ab ipsis ni- **Mat. 10**
 hil terrenum quærere, ut etiam puluerem de terra eorum sibi non paterentur adhærere.

Estote ergo prudentes sicut serpentes, Ad cauendum malū in capite custodiendo quod **VIII**
 est Christus. Nam serpens totū corpus pro capite obijcit persequenti. Vel q; per angustias **Egyptus rapit redemptum**
 se coarctans ueteri tunica exutus innouetur. Quod imitatur quibus dictum est, Intrate per **Proprietate serpente**
 angustam portam, cū uetere homine exuuntur. Nam si cauendum malum ita moneret, ut
 uiolenter resistendū esset malis, non supra dixisset, Mitto uos sicut oues in medio luporum. **Mat. 10**
B Simples autē sicut columbas esse uoluit, ad nulli nocēdum. Nam hoc genus auis nullum **Proprietate columbe**
 omnino animalium necat, non solum grandium contra quæ uires non habet, sed etiam mi-
 nutissimorum, quibus etiam perparui passerres aluntur. Est autem omnibus irrationali-
 bus animantibus una quædam inter se societas, sicut etiam rationalibus sua, id est, homini-
 bus, non solum secum, sed etiam cum angelis. Discunt ergo ex similitudine columbarum
 nulli prorsus nocere ad societatem suam pertinenti participatione rationis.

Confiteor tibi pater cœli & terræ. Notandum confessionem poni in laudem dei. Non **IX**
 enim peccata dominus confitebatur, quæ nulla habebat, præsertim quia eum exultantem **Mat. 11**
 hoc dixisse alius euangelista commemorat, quanquam & uerba ipsa quæ dicit non habeāt
 dubitationem, quod in laudem dei dicantur. Ergo confessionem uocat scriptura generaliter **V**
 quicquid manifeste, sicut cernitur, enūtiatur. Nam & illud quod ait, Si quis me confessus fue-
 rit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo: uel sicut alibi est, coram an-
 gelis dei, Non utiq; peccata confitetur qui Christum confitetur. Quod si propterea putant
 aliqui confessionem uocari, quia pro crimine obijciebatur Christi nomen tempore persecu-
 tionis: nunquid ita etiam Christus coram patre uel coram angelis eius hominem qui se con-
 fessus fuerit confitetur? Est etiam in ecclesiastico ita positum, Et hæc dicetis in confessione, **Ecclesi. 39**
 opera domini uniuersa quoniam bona ualde. Quo in loco indubitanter dei laudes exagge-
 rantur. Hæc dicta sunt propter imperitiam fratrum, qui cum legente lectore audiunt hoc
 uerbum, pectora statim tundunt, non attendentes quo loco dicatur, quasi non posset nisi
 peccatorum esse confessio. Notandum de eo quod illicite factum uideretur Iudæis, **X**
 quod discipuli sabbato spicas euulsiissent, unum exemplum datum regiæ potestatis de Da- **Mat. 12** *David*
 uid, alterum sacerdotalis, de his qui per ministerium templi sabbatum uiolant, ut multo mi-
 nus ad ipsum euulsarum sabbato spicarum crimen pertineat, qui uerus rex & uerus sacer- **XI**
 dos est, & ideo dominus sabbati. Cum autē dormirent homines, uenit inimicus eius **Mat. 13**

& superfeminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cum negligentius agerent praepositi ecclesiae, aut cum dormitionem mortis acciperent apostoli, uenit diabolus & superfeminavit eos quos malos filios dominus interpretatur. Sed recte quaeritur, utrum haeretici sint, an male uiuentes catholici? Possunt enim dici filij mali etiam haeretici, quia ex eodem euangelij semine & Christi nomine procreati, prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici feminatos, quasi uidetur illi significari quod unius communionis sunt. Veruntamen quoniam dominus agrum ipsum, non ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur haeretici: quia non societate unius ecclesiae uel unius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscetur bonis: ut illi qui in eadem fide mali sunt, palea potius quam zizania deputentur: quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumeto, radicemque communem. In illa plane sagena qua concluduntur & mali & boni pisces, non absurde mali catholici intelliguntur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat: aliud sagena, quae unius fidei uel unius ecclesiae communionem uideatur ostendere. Inter haeticos & malos catholicos hoc interest, quod haetici falsa credunt, illi autem uera credentes non uiuunt ita ut credunt. Solet autem etiam quaeri, schismatici quid ab haeticis distent, & hoc inueniri, cum schismaticos non fides diuersa faciat, sed communionis dirupta societas. Sed utrum inter zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis autem uidentur spicis corruptis esse similiores, sicut scriptum est, Vento autem corrumperetur filius iniquus: uel paleis aristarum fractis uel scissis & de segete abruptis. Quo enim altiores, id est, superbiores, eo fragiliores leuioresque sunt. Nec tamen consequens est, ut omnis haeticus uel schismaticus corporaliter ab ecclesia separetur. Si enim falsa de deo credit, uel de aliqua parte doctrinae quae ad fidei pertinet aedificationem, ita ut non quaerentis cunctatione tentatus sit, sed inconcusse credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans, haeticus est & foris est animo, quamuis corporaliter intus uideatur. Multos enim tales portat ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiae suae, ut intentam multitudinem faciant: quod si fecerint, tunc pellantur. Item quicumque inuidet bonis, ita ut quaerant occasiones excludendi eos, aut degradandi: uel crimina sua sic defendere parati sunt, si obiecta uel prodita fuerint, ut etiam conuenticulorum segregationes, uel ecclesiae perturbationes cogitent excitare, iam schismatici sunt, & ab unitate corde discissi, etiam si non inuentis occasionibus, aut occultatis factis suis sacramento ecclesiae corporali conuersatione sociantur. Quapropter illi soli catholici mali deputantur, qui quamuis uera credant quae ad ueram fidei doctrinam pertinent, & si quid forte nesciunt, quaerendum existiment, & salua pietate discutiant sine aliquo prauiudicio ipsius ueritatis, & bonos, uel quos bonos putant ament atque honorent quantum possunt, tamen flagitiose atque facinorose uiuunt contra quam uiuendum esse credunt. Tales enim etiam si prodantur aut accusentur, pro disciplina ecclesiae salutisque suae causa correpti, uel a communione suspensi, nullo modo sibi recedendum esse a communione catholicae fidei existimant, quomocumque permisi fuerint satisfactionis quaerentes locum: & aliquando per poenitentiam in frumenta mutantur, siue correpti, siue remoti, siue etiam uerbo dei nullo nominatim accusante aut increpante perterriti. Aliquando autem etiam sub nomine poenitentium ita uiuunt ut solent, aut non multo minus, quidam etiam amplius, nullo modo tamen a catholica unitate discedunt. Quibus ita uiuentibus si mors obrepserit, palea deputantur usque in finem. Hoc etiam ipsi credunt. Nam si aliter credunt & inconcusse tenent, iam inter haeticos numerandi sunt: putantes omnibus deum, etiam in magna iniquitate usque in finem uitae perseuerantibus, tantum quia ecclesiae unitatem non sincera dilectione, nisi ut bene uiuerent, sed magis poenarum timore tenuerunt, ueniam daturum. Isti ergo non hoc credunt, uel non firmiter opinantur, & si adhuc forsitan quaerunt. Sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutius uicturos putant, & perditos mores aliquando in melius mutaturos. Contra quos dicitur, Ne tardes conuerti ad deum, neque differas de die in diem, Subito enim ueniet ira eius, & in tempore uindictae disperdet

Ecclesi.

Genius
Mali signum
Conferunt

A det te. Illi enim conuertuntur qui recte uiuere incipiunt: hoc est enim ad deū redire. Qui autem concupiscentias suas perseueranter sequuntur, dorsum quodammodo habent ad deū, quamuis in unitate constituti saepe illum retorto collo conentur aspicere. Ergo & isti, ut ait propheta, caro sunt & spiritus ambulans & non reuertens. Sed tamen ut dictū est, propter eandem fidem atq; unitatem ecclesiae, neq; inter zizania, quoniā illa extra radicata sunt, neque inter aristarum paleam quae se etiam frumentis audet aspera dissensione & fragili elatione superimponere, sed quamuis subiectam frumētis, tamen inter paleā quae ultima uentilatione separanda est numeratur. Boni autem catholici sunt, qui & fidem integrā sequuntur & mores bonos. Quod autem ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt si quid quærendum habent, ut absit concertatio periculosa, uel quærētī, uel ei cum quo quæritur, uel eis qui differentes audiunt. Ita autem docent si quid docendum habent, ut usitata & confirmata securissime & fidentissime & lenissime ut possunt insinuent, Inusitata uero etiam si ueritatis manifestatione liquidissima perceperunt, quærendi potius quàm præcipiendi aut affirmandi modo, propter audientis infirmitatem. Si autem tantum habet pondus aliquod uerum, ut uires discentis excedat: suspendendum est ut extendat crescentem, non imponendū ut obterat paruulum. Inde est enim illud domini, Sed filius hominis cum uenerit, putas inueniet fidem in terra? Aliquando autem & occultandum est, sed cum spe hortatoria, ut nō faciat desperatio frigidiores, sed desiderium capaciosiores. Inde est illud eiusdē domini, Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Quod ergo ad mores pertinet, hoc bene & breuiter dicitur: aut conflagendum est cum amore temporalium bonorum, ut non uincat: aut etiā edomitus subditusq; esse debet, ut cū surgere cœperit, facile reprimatur: aut ita extinctus, ut se omnino nulla ex parte cōmoueat. Ex quo fit ut etiam ipsam mortē propter ueritatem alij fortiter obeant, alij æquanimiter, alij libenter. Quae tria etiam genera fructus sunt fertilis terrae, triceni & sexageni & centeni. In horum aliquo genere inueniendus est tempore mortis suae, si quis de hac uita recte cogitat emigrare. Toleranda sunt autem non solum zizania usq; ad messem: quae cum diabolus asperis prauis erroribus falsisq; opinionibus superfeminasset, hoc est, præcedente nomine Christi hæreses superiecisset, magis ipse latuit atque occultissimus factus est, hoc est enim & abiit: sed etiam palea usque ad uentilationem. Nec probatur fortius grauitas frumentorum, nisi paleae perturbationibus, quas cum premere non potuerit ueritate defensa, cesserit falsitas unitate seruata. Quāquam in hac parabola dominus, sicut in eius expositione conclusit, non quaedam, sed omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur.

B Cum autem creuisset herba & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Cum enim spiritualis homo esse cœperit dijudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere. Serui autem dixerunt ei, Vis imus & colligimus ea? Vtrum & ipsi sint serui quos paulopost messorum appellat: an quia in expositione parabolae messorum dixit esse angelos, nec quisquam facile dicere ausus fuit angelos nescisse quis zizania superfeminauerit, & ea tunc apparuisse angelis cum herba fructum fecisset: magis oportet intelligi homines ipsos fideles seruorum nomine hoc loco significatos, quos etiam bonum semen dicit. Nec mirum si & bonum semen ipsi dicuntur, & serui patrifamilias: sicut de se ait quod ipse sit ianua, & quod ipse sit pastor, Ex diuersis enim significationibus una res etiam plures & diuersas similitudines recipit: præsertim quia cum ad seruos loqueretur non ait, In tempore messis dicam uobis, Colligite primum zizania, sed, dicam inquit messoribus. Vnde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse ministeria, nec quenquā ecclesiae filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere. Cum igitur esse quisq; spiritualis cœperit, cognoscit errores hæreticorum, & omnino dijudicat atq; discernit, quicquid audierit aut legerit abhorre à regula ueritatis: sed donec in eisde spiritualibus perficiatur, & quodammodo maturus rescat in fructum quae herba dedit, potest eum mouere, quare sub nomine Christiano tam multae hæreticorum extiterint falsitates. Inde etiam est quod serui dicunt, Nonne bonum semē

seminasti in agro tuo: unde ergo habet zizania? Deinde cum cognouerit hanc excogitasse fraudem diabolum, cum contra tanti nominis autoritatē nihil se ualere sentiret, ut fallacias suas eodem nomine obtegeret: potest ei suboriri uolūtas, ut tales homines de rebus humanis auferat, si aliquam temporis habeat facultatem: sed utrū facere debeat, iustitiam dei consulit, utrum hoc ei praecipiat, uel permittat, & hoc officiū esse hominū uelit. Hinc est quod serui dicunt, Vis imus & colligimus ea? Quibus ueritas ipsa respondet, Non ita hominem constitutum esse in hac uita, ut certus esse possit qualis quisque futurus sit postea, cuius in praesentia cernit errorem: uel quid etiam error eius conferat ad profectum bonorum: non esse tales auferendos de hac uita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sunt: aut bonis obsit quibus & inuitis forte utiles sunt: sed tunc opportune fieri, cum iam in fine non restat uel tempus commutandae uitae, uel proficiendi ad ueritatem ex occasione atque comparatione alieni erroris. Tunc autem hoc non ab hominibus sed ab angelis fieri. Inde est quod respondet paterfamilias, Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum: sed in tempore messis dicam messoribus & caetera. Atque hoc modo eos patientissimos & tranquillissimos reddidit. Quæri autem potest quod ait, Alligate fasciculos ad comburendum: cur non unum fascem, aut unum aceruum zizaniorum fieri dixit? Nisi forte propter uarietatem haereticorum, & non solum à tritico, uerumetiam à seipsis discrepantium, ipsa uniuscuiusque haereseos propria conuenticula, in quibus singulatim sua comunione deuincti sunt, nomine fasciculorum designauit. Vt iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cum à catholica comunione segregati suas proprias quasi ecclesias habere coeperint: ut combustio earum sit in fine seculi, modo alligatio fasciculorum. Sed si ita esset, non iam multi resipiscendo, & in catholicam remeando ab errore desciscerent. Quapropter & alligatio fasciculorum in fine futura est, ut non confuse, sed pro modo peruersitatis suae uniuscuiusque erroris pertinacia puniatur. Ne forte colligentes zizania eradicetis simul & triticum. Vtrum quia etiam boni cum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum permixtione: siue ut per eos exercentur, siue ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat ut nitantur ad melius, quibus sublati altitudo charitatis quasi euulsa marcescat, quod est eradicari? Nam sic ait Apostolus, Vt in charitate radicati & fundati possitis comprehendere. An forte ideo simul eradicetur triticum cum auferuntur zizania, quia multi primo zizania sunt, & postea triticum fiunt? Qui nisi patienter cum mali sunt tolerantur, ad laudabilem mutationem non perueniant: itaque si euulsi fuerint, simul eradicabitur & triticum quod futuri essent, si eis parceretur.

XIII. Simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas, Inuenta autem una pretiosa margarita, abiit & uendit omnia quae habuit & emit eam. Quaestio est, cur à numero plurali ad singularem transierit, ut cum quaerat homo bonas margaritas, unam inueniat pretiosam quam uendit omnibus quae habet, emit. Aut ergo iste bonos homines quaerens, cum quibus utiliter uiuat, inuenit unum praeter omnibus sine peccato, mediatorem dei & hominum Christum Iesum. Aut praepcepta quaerens quibus seruatis cum hominibus recte conuersetur, inuenit dilectionem proximi, in quo uno dicit Apostolus omnia contineri, Vt non occides, non moechaberis, non furaberis, non falsum testimonium dices, & si quod est aliud mandatum, singulae margaritae sint, quae in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Aut bonos intellectus homo quaerit, & inuenit unum illum quo cuncti continentur. In principio erat uerbum, & uerbum erat apud deum, Est enim uerbum domini lucidum candore ueritatis, & solidum firmitate aeternitatis, & undique sui simile pulchritudine diuinitatis, qui deus penetrata carnis testudine intelligendus est. Ille enim ad margaritam ipsam iam peruenerat, quae in tegumentis mortalitatis, quasi concharum obstaculo, inter profunda huius seculi, atque inter duritias saxaeas Iudaeorum aliquando latuerat. Ille ergo ad ipsam margaritam iam peruenerat, qui ait, Et si noueramus Christum secundum carnem, sed nunc iam non nouimus. Nec ullus omnino intellectus margaritae nomine dignus est, nisi ad quem discussis omnibus carnalibus tegminibus

*Christus mediator dei et
hominum*

2. Cor. 5

A minibus peruenitur, quibus siue per uerba humana, siue per similitudines circūpositas operitur, ut purus & solidus, & nusquā à se dissonans, certa ratione cernatur. Quos tamen omnes ueros & firmos & perfectos intellectus unus ille continet, per quem facta sunt omnia, quod est uerbum dei. Quidlibet aut horum trium sit, uel si aliquid aliud occurrere potuerit, quod margaritæ unius & preciosæ nomine bene significetur, pretium eius est, nos ipsi: qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ tēporaliter possidentur: uenditis enim rebus nostris, nullum earum maius accipimus pretium, quā nos ipsos, quia talibus implicati nostri non eramus. Vt rursus nos ipsos pro illa margarita demus, non quia tanti ualeamus, sed quia plus dare non possumus. Et oculos suos XIII clauerunt, ne quando oculis uideant, id est, ipsi causa fuerunt, ut deus eis oculos clauderet. Alius enim Euangelista dicit, Excæcauit oculos eorum, Sed utrum ut nunquam uideant: an Ioan. 12 uero ne uel sic aliquando uideant, cæcitate sua sibi displicentes, & se dolentes, & ex hoc humiliati atq; commoti ad confitenda peccata sua, & pie quærendum dominū. Sic enim Mar Marci 4 cus hoc dicit, Nequando cōuertantur & dimittantur eis peccata, Vbi intelliguntur peccatis suis meruisse, ut non intelligerent: & tamen hoc ipsum misericorditer eis factum, ut peccata sua cognoscerent, & conuersi ueniam mererentur. Quod autem Ioannes hunc locū ita dicit, Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum, & indu Esaiæ 6 rauit cor eorū, ut non uideant oculis, & intelligant corde, & conuertantur & sanem eos, Aduersari uidetur huic sententiæ, & omnino cogere, ut quod hic dictum est, ne quando oculis uideant, non accipiatur ne uel sic aliquando oculis uideant, sed prorsus ut nō uideant. Quādo quidem aperte ita dicit, ut oculis non uideant, Et quod ait, Propterea non poterant credere, satis ostendit non ideo factam illam excæcationem, ut ea commoti & dolētes se non intelligere conuerterentur aliquando per pœnitentiam, Non enim possent hoc facere, nisi prius crederent, ut credendo conuerterentur, conuersione sanarentur, sanitate intelligerent, Sed ideo potius excæcatos, ut non crederent. Dicit enim apertissime, Propterea non poterant credere. Quod si ita est, quis non exurgat in defensionem Iudæorum, ut eos extra culpam fuisse proclamet, quod non crediderunt? Propterea enim non poterant credere, quia excæcauit oculos eorum, Sed quoniam potius deus extra culpam debet intelligi, cogimur fatē 1 ri alijs quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse, qua tamen excæcatione non potuerūt credere. Verba enim Ioannis ista sunt, Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias, Excæcauit oculos eorum. Frustra itaque conamur intelligere, ideo fuisse cæcatos, ut non conuerterentur, cum ideo conuerti non poterant, quia non credebant, & ideo credere non poterant, quia excæcati erant. An forte non absurde dicimus, quosdam Iudæorū fuisse sanabiles: sed tanto tamen superbix tumore periclitatos, ut eis expedierit primo non credere: & ad hoc fuisse cæcatos, ut nō intelligerent dominum loquentē per parabolas, quibus non intellectis, non in eum crederent, non credentes autē cum cæteris desperatis crucifigerent eum: atq; ita post eius resurrectionem conuerterentur, quando iam de reatu mortis domini amplius humiliati uehementius diligerēt à quo sibi tantū scelus dimissum esse gauderent, Quoniam tanta erat eorum superbia, ut tali humiliatione esset deiiciēda. Quod incōgrue dictū esse quilibet arbitretur, si non ita cōtigisse in Actibus apostolorū manifestissime legerit. Non ergo abhorret quod ait Ioannes, Propterea non poterant credere, quia excæcauit oculos eorum ut nō uideant, ab ea sententiā qua intelligimus ideo excæcatos ut conuerterentur: hoc est ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias domini, ut post eius resurrectionem salubriori pœnitentia resipiscerent: quia per obscuritatem sermonis excæcati, dicta domini non recte intellexerūt, & ea non intelligendo, nō in eum crediderunt, nō credendo crucifixerunt: atq; ita post eius resurrectionē miraculis quæ in eius nomine fiebant exterriti, maiore criminis reatu cōpuncti sunt & prostrati ad pœnitentiam, deinde accepta indulgentia ad obedientiam flagrantissima dilectione conuersi. Nam quibus non profuit illa cæcitas ad conuersionē, quæ per linguam parabolarū fiebat, ita de illis propheta

pheta alio loco dicit, quod apostolus etiā cōmemorauit cū de obscuritate linguarum age-
Esaie 28 ret, In alijs linguis, & in alijs labijs loquar populo huic: & nec sic me exaudiēt dicit dominus
 Non enim diceretur, nec sic me exaudient, nisi ad hoc fieret, ut uel sic exaudirent, id est, ut eis
 ad humilem confessionem & sollicitam inquisitionem & obedientem conuersionem & fer-
 uentem dilectionem ualeret. Est uero etiam ista ratio medicinæ corporalis. Nam & plera-
 que medicamenta prius affligunt ut sanent, & ipsa collyria quæ ad oculos pertinent, si ea o-
 pus est intrinsecus infundi, nisi sensum uidendi prius claudant & perturbent, prodesse non
 possunt. Nec moueat quod idem propheta dicit, Nisi credideritis non intelligetis: quasi cō-
 trarium sit quod Ioannes ait, Propterea non poterāt credere, quia excæcauit oculos eorum,
 id est, quia illæ parabolæ ita dicebantur, ut ab eis non possent intelligi. Dicit enim aliquis,
 Si ut intelligerent credere debebant, quomodo propterea non poterant credere, quia non
 intelligebāt? Hoc est, quia excæcauit oculos eorū. Sed quod ait Esaïas, Nisi credideritis, nō
 intelligetis, de illa intelligentia dictū est, in qua semp manebitur, rerū ineffabilium. Cū aut
 dicitur quod credatur, nisi quod dicitur intelligatur, credi non potest. Intelligenda sunt ergo
 dicta ut credantur quæ dici potuerunt: credenda aut quæ dici potuerūt, ut intelligantur quæ
 dici non possunt. Et sine parabolis nō loquebatur eis. Non quia nihil proprie locutus
 est, sed quia nullum ferè sermonem explicauit, ubi non aliquid per parabolam significauit:
 quamuis in eo aliqua & proprie dixerit: ita ut saepe inueniatur totus sermo eius parabolis
 explicatus, totus autem proprie dictus nullus inueniatur. Explicatos autem sermones dico,
 quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui quousq; terminet quicquid ad ipsam rem
 pertineat, & transeat ad aliud. Nonnunquam sanè alius Euangelista contexit, quod alius
 diuersis temporibus dictum indicat. Non enim omnimodo secundum rerum gestarum or-
 dinem, sed secundum suæ quisq; recordationis facultatem narrationem quam exorsus est
 ordinauit. Dicunt ei, etiam: ait illis, Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorū, similis
 est homini patrifamiliās, qui profert de thesauro suo noua & uetera. Vtrum ista conclusio
 ne exponere uoluit quem dixerit thesaurum in agro absconditum? Quoniam sanctæ scri-
 pturæ intelliguntur, quæ nomine duorum testamentorum noui & ueteris concluduntur.
 Quemadmodum apud alium euangelistam gladium bis acutum tali conclusione uidetur
 exponere. An quia in parabolis ista locutus est? Et quum quæsisset ab eis, utrum intellexis-
 sent, responderunt se intellexisse. Fortasse ista similitudine ultima patrifamiliās proferen-
 tis de thesauro suo noua & uetera, ostendere uoluit eum doctum habendum esse in eccle-
 sia, qui etiam scripturas ueteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis nouis accipiens re-
 gulas: quia & ista dominus per parabolas enuntiauit, quamuis ipse Christus esset finis illo-
 rum, id est, ut in eo illa uetera complerentur: ut si ipse in quo illa complentur & manifestan-
 tur, per parabolas adhuc loquitur, donec eius passio uelum discindat, ut nihil sit occultum
 quod non reueletur: multo magis illa quæ ad commendandam tantam eius salutem tam
 longe de illo scripta sunt, parabolis operta esse nouerimus: quæ cum Iudæi ad litteram acci-
 perent, noluerunt esse docti in regno cœlorum, neq; trāsire ad Christum, ut auferretur uela-
 men quod supra cor eorum positum est. Fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon
 & Judas, & sorores eius, nōne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? & scan-
 dalizabantur in eo. Fratres apud Iudæos dici solere cognatos usq; adeo probatur, ut non
 solum ex propinquo generationis gradu sicut sunt filij fratrum & sororum, qui etiam apud
 nos usitatissime fratres dicuntur, sed etiam auunculus & sororis filius, sicut sibi erant Iacob
 & Laban fratres appellati inueniantur. Non ergo mirum est dictos esse fratres domini ex
 materno genere quoscūq; cognatos, cum etiam ex cognatione Ioseph dici potuerint, fratres
 eius, ab eis qui illum patrem domini esse arbitrabantur.